

ancoram dimittat e manibus, decidat necesse est et in  
abyssum atque in profundum malorum necetur. Quod  
cum senserit inimicus et viderit nos peccatorum nostro-  
15 rum multitudinem perhorrentes increpationibus et iam  
ipsius conscientiae deterreri, accedit et ipse, et cogitationes  
nobis subicit desperandi plumbo omni et omni arena  
graviores. Quas si receperimus, necesse est nos statim  
pondere ipso, abruptis salutis nostrae retinaculis, in pro-  
20 fundum demergi malorum. In haec ergo et tu deiectus  
boni et mitis Domini praecepta nunc spernis, crudelis  
autem et immitis tyranni atque inimici salutis tuae volun-  
tatibus pares. Abiecisti suave iugum Christi et duras ac  
ferreas pro eo imposuisti cervicibus tuis peccatorum cate-  
25 nas. Abiecisti onus leve humilis et mitis Domini et pro eo  
molam asinariam collo tuo appendisti. Sed quousque per-  
tendis? Sta iam et desine infelicem animam sine respectu  
aliquo, sine ulla recordatione demergere. Quousque pe-  
rurges eam et praecipitas in interitum tuum? Et quidem  
30 mulier illa, quae in evangeliiis dragmam quam perdiderit  
invenit, convocat vicinas et amicas ut congratulentur ei,  
ego autem convocabo amicos tuos meosque ac vicinos  
nostros et deprecabor eos, non ut gaudeant sed ut lugeant  
mecum, nec ut gratulentur sed ut lamententur et ingen-  
35 tem planctum sublatis ad caelum una mecum vocibus  
reddant. Dicam ad eos: « Ululate mecum, o amici, et  
plangite, profundite mecum fontes fletuum et producite  
flumina lacrimarum, non quia auri pondus immensum  
nec argenti talenta innumera amisi de manibus meis, non